

DE COMBUSTIONE.

476. Si ignis ardens, vel in fervido corpore latens, corpori nostro applicatur, oritur destructio vasculorum, extravasatio humorum pro varietate caute, durationis, partis affectae varia.

477. Hujus (476.) varietatis gradus vari similes sunt his, qui decurrunt a prima & levissima inflammatione, (370. ad 464.) usque in saevissimum sphacelum.

478. Hinc phaenomena, diagnosis, prognosis eadem.

479. Quin curatio nihil differt: potus antiphlogisticus semper necessarius.

480. Ustio intra limites resolvendae inflammationis subsistens (386.) curanda his, quae liquida condiant, moveant vasa expediant conservent: id fit igne moderato, fotu, cataplasmate, (395. ad 402.) butyro loto, spiritu vini cum paucō vitriolo.

481. Ustio itura in gangraenam, crista-
pata jam & erosa cute, elevatis bullis,
curanda ut inflammatio talis, fotu, cata-
plasmate emollientibus, digestivis. (402.
ad 454.)

482. Ustio jam in crustas gangraenosas,
vel sphacelatas acta, curanda ut illi morbi.
(419. ad 476.)

483. Nusquam plus prospiciendum pulchritudini cicatricis, quam hic: vid.
(217.)

S C I R R H U S.

484. Scirrus (392.) pro causa habet quidquid succum in glandulis coagulare, inspissare, siccare potest. Ejus ergo sedes omnis glandula; sed in primis, quae liquorem facilius inspissandum habet vel ratione loci stagnare plus cogit. Unde in oculis, naribus, ore, mammis, axillis, inguinibus, pancreate, mesenterio, utero, saepius obtinet.

485. Hinc inflammatio; (392.) lac stagnans, caseosum, durescens, coagulatum; contusio; (322.) attritus validus; anthrax; bubo; ulcus premature clausum; materies atrabiliaria sanguinis, bilisve, maxime cessante consueto menstruo, vel haemorrhoidal fluxu; lapidescens, crassa, austera, gypsea materies; vita tristis; victus durus; haereditaria labes, scirrum creare possunt.

486. Effectus scirri nati, occupare aeta mole vicina, ea premere, comprimerre; laedere functionem scirrhosi, & vici ni; hinc inflammations, suppurationes, gangraenas, paralyses, atrophias, sphacelos,